

SCRIPTA

Numéro Scripta : 841

Auteur(s) : Achard, Avranches (évêque)

Auteur(s) : Guillaume de Tournebu, Bayeux (doyen chapitre cathédral)

Auteur(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Bénéficiaire(s) : Robert de Bolon, Cully (chanoine)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1164, 21 avril

Lieu d'émission : Bayeux

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Achard, évêque d'Avranches, Guillaume, doyen de Bayeux, et tout le chapitre de Bayeux font part du débat qui s'est élevé entre Robert de Bolon, chanoine de Cully, et Gautier de Saint-Léger, au sujet de l'église de Tracy-(sur-Mer). Avant que l'affaire n'ait été évoquée devant l'évêque d'Avranches, Gautier meurt. Néanmoins, les témoins sont cités et entendus à Bayeux, le 21 avril 1164.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° XLIX, t. 1, p. 62-64.

Texte établi d'après a

(Achardus), Dei gratia Abrincensis episcopus, et Willelmus, Baiocensis ecclesiae decanus, totusque ecclesiae canonicorum conventus, universis in Christo fidelibus, tam praesentibus quam futuris, in vero salutari salutem. Noverit universitas vestra quod magister Robertus de Bolon, canonicus Baiocensis ecclesiae, vir bonae opinionis, et apprime litteris eruditus, sine dubio cognoscens ecclesiam de Tracheio esse de jure canonicae suae, Alexandri, Dei gratia supremi pontificis, ad me Abrincensem episcopum impetravit rescriptum, quatinus se et Galterum de Sancto Leodegario (?) ante meam evocarem praesentiam, et controversiam, quae inter eos vertebatur super ecclesia de Tracheio, fine debito terminarem ; sed ante hanc discussionem, Galterus morte praeventus est. Mandato tamen domini Hugonis, Dei gratia Rothomagensis archiepiscopi, et consilio, testium magistri Roberti depositiones ego et Baiocense capitulum recepimus, et maxime eorum qui senes et valitudinarii erant, ne veritas in posterum defectu testimonii deperiret. Quibus diligenter auditis, et eorum depositionibus fideliter inspectis, eum, in possessionem illius ecclesiae misimus. Nos autem, hujus rei veritatem prorsus illaesam conservare volentes, nomina testium propriis duximus exprimenda vocabulis qui in hunc modum huic rei testimonium exhibuerunt, apud Baiocas, in Oratorio Sancti Sepulcri et Salvatoris Domini, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo quarto, undecimo kalendas maii : Helyas, canonicus regularis de Plaissicio, qui fuit canonicus Baiocensis ecclesiae plusquam quadraginta annis, juravit et dixit se praesentem fuisse quando Ricardus, filius Sansonis, episcopus Baiocensis, concessit in praebendam ecclesiam de Tracheio, et ecclesiam de Momberton, et partem ecclesiae de

Curleio, Helyæ clerico, ad petitionem Willelmi Picoth, patris sui, in cuius feodo erant prædictæ ecclesiæ, et quod Helyas, canonicus ille, habuit ecclesias illas in præbenda sua usque ad mortem suam. Patricius, Baiocensis archidiaconus, provectæ ætatis, iuravit et dixit se vidisse præfatum Helyam habere prædictas ecclesias in præbenda sua. Anchetillus de Sancto Vigore, qui in ecclesia Baiocensi plusquam triginta annis presbiter extitit, vir grandævus, iuravit et dixit se idem vidisse quod archidiaconus. Hugo de Sancto Georgio, qui in ecclesia Baiocensi plusquam quadraginta annis canonicus extitit, iuravit et dixit se idipsum vidisse. Sanxon, subdiaconus ecclesiæ Baiocensis, fere decrepitus, iuravit et dixit se vidisse præfatum Helyam habere ecclesiam de Tracheio in præbenda sua. Rogerus, presbiter ecclesiæ Baiocensis, iuravit et dixit se vidisse magistrum Unfridum Bovem, qui prædicto Heliæ in præbenda præfata successit, quam post ipsum habuit magister Robertus, habere ecclesiam de Tracheio in præbenda illa. Unfridus, clericus, iuravit et dixit idem quod Rogerus, et adjecit quod ipse ad ecclesiam prædictam a magistro Unfrido missus est pro decimis suis.